... Jagell.
... Ord.
1696 die 15 Maii

Cerpter Car. Joan: Capitolium laureati honoris virtuti et meritis VV. DD. XVII Magisterii in artibus et in Philosophia doctoratus licentiatorum – reseratum.

Poerza 2906.

CAPITOLIUM
LAVREATI HONORIS

Virtuti & meritis,

VV. DD. XVII Magisterij in Artibus & in Philosophia Doctoratûs LICENTIATORUM,

DUM

in Alma Vniversitate Cracoviensi,

PER

Clarissimum & Admodùm Reverendum Dominum,

M. MARTINUM BIELECKI,

Philosophiæ Doctorem, eiusdemq; Regium Professorem, Collegam Maiorem, Ecclesiarum Collegiatarum, Cracov: S. ANNÆ, Tarn: Canonicum.

in frequentissima Magnorum Hospitum Corona,

Artium Magistri & Philosophiæ Doctores, ritu solenni renuntiarentur,

RESERATVM,

& A

CASIMIRO IOANNE CEYPLER,

Magisterij in Artibus & Philosophiæ Doctoratûs LICENTIATO,

applausu Panegyrico

CELEBRATVM.

Anno Domini 1696. Die 15. Maij.

CRACOVIÆ, TYPIS VNIVERSITATIS.

In Gentilitium Insigne,

Perillustris & Rñdissimi Domini.



COnsilio, gladioq; Domus LUBIENSCIA quantum
Emineat? monstrat saucius ense Bison.
Prodidit hæc dextros Fabios, magnosq; Catones,
Est adjuta quibus Patria nostra cadens.

Perillustri & Rñdisimo Domino,

D. CASIMIRO ŁUBIENSKI,

Ecclesiæ Cathedralis Cracov: Canonico, Custodi Vislicensi,

Domino & Benefactori Amplissimo.

LAureati honoris Capitolium, nunquam felicius assurgere potuit, nisi Gentilitium Tuum Caput faustiora ei omina signaverit. PERILLUSTRIS & REVERENDISSIME DOMINE. *Si enim ab invento Capite, augustum Imperium Roma olim est inaugurata: Tuum Avitæ Prosapiæ Decus pulchriùs enasci Palladem nostram permittet; à quo omnis Orbis Sarmatici angulus, memorandis eventibus, æquè augustis Maiorum Tuorum fastis plenus, triumphat. Et vsq; nunc memoriam nova perfundit voluptate* ILLVSTR: & MAGN: D. MARCI ŁVBIENSKI, *Palatini Brestensis; cuius meritorum gloriam, nulla ventura tacebunt lustra, nec ignota rapiet sub nubem vetustas. Vivunt non domesticarum laudum, nec fucatis splendoribus circumfusa decora,* ILLVSTR: & MAGN: D. NICOLAVS ŁVBIENSKI *Palatinus Syradiensis,* & ILLVSTR: MAG: D. ANDREAS LVBIENSKI, *Supremus Regni Thesaurarius: alter heroicis pro Patria operibus clarus, Hercules Sarmaticus, alter æqui boniq; publici summus Arbiter & Dispensator, Cato, Aristides; vterq; magnum posteritati desiderium omni amplitudine maius, gloriæ fastigium. Tam ingentium Animarum! pretium ac pompa Celsissimus & Reverend:* MATTHIAS ŁVBIENSKI, *Archiepisc: Gnesn: Primas Regni, desiderio sui, factus major amanti Patriæ, & mortalitate expletâ, immortalis, cùm nullum laudatorem inveniat, solo cultu ac veneratione constet, nisi Cælites ipsi, Cuius pietate in terris fulgent, inopis ingenij culpam deterant. Omnis ætas sit grata iucundaq; Panegyris*

Illustr: & Reverend: D. STANISLAO ŁVBIENSKI, *Episc: Płocensi, Abbati Tynecensi, Perillust: & Reverend:* D. ALBERTO ŁVBIENSKI, *Canonico Gnes: Cracov:, Præposito Pultoviensi: quorum Ille dum notanda seculorum molimina æternitati, in annalium monumentis, commendat; Hic Divinorum contemplationi intentus, pietatis memorandum fit exemplar; sic magno virtutum ac ingeniorum proventu seculis perennabunt. Adest Animi Sublimitas Illustris: Parens Tuus* SIGISMVNDVS ŁVBIENSKI, *Palatinatûs Syradiensis Vexillifer, Invictus Heros, pro Patria contra Leonem ab Aquilone furentem, magnanimus æquè fortissimus Alcides: Cuius Tu Perillustris & Reverendissime Dñe Imago & Gloria exstas. In Te gemmæ, uniones magnorum factorum, Avitæ Domûs, velut Erydano, Maiorum Tuorum Genesi congesta, fulgent,*

---- tenerisq; etiam fulgebas ab annis,

dum non promittebas Te futurum magnum, sed efformabas Romano Soli ad inuidiam, & Tyberis gavisus Te hospite pulchro. Tuæ virtutis non germen aut flos præcursor, sed grandæva maximorum fructuum matura perceptio, argumento, in resolvendis plùs quàm Gordiis Theologiæ connexis thesibus, publicè Romanæ Palladi assurrexit. Eruditæ mentis lux è septicolli Urbe in Vauellum translata primò Celsissimo Capiti affulsit, mox oculos omnium apprehendit; quibus pulcherrimo nexu secreta quæstio & admiratio iuncta. Nimirum assurgebas Coronis redimitum Caput; in Tuumq; honorem, Maiestatis, Purpuratorum Senatûs amoris non vulgare arcanum meritorum Lydius, in gloriam & amplitudinem, unà, à magnis seculis Auitæ Domui deuincta fortuna creuit. Et cùm in summa virtutum culmina eluctareris Perauguſti Capituli ad negotia Consus, admirandam prudentiam plausus, affectus non vulgaris, ac si in Triptolemo beneficentiæ dexteritatis longè lateq; semina spargente, venerabantur. Qui publici boni Zelator maximus dispendia etiam minimè recusasti

---- nunquam

Publica privatæ cesserunt commoda causæ.

Sed cùm Virtutum Tuarum amplitudo animorum ebore demonstrata, eloquentiam verborum inopiæ arguat, sub velamine & ex umbris inculto ingenio meo in imis liceat tantum admirari, Tu pusionem animum, operum, Maiestatis umbrâ condecores; imo literati certaminis nostri laureatos postes, intra fauoris recessus feliciùs surgere permittas. A Tuo Gentilitio Capite, (quod libertatis symbolum est) Virtutis ac Honoris prominens altiùs Templum, omen nomenq; habeat: & dum Academicæ laurus deuotæ, Tuo Nomini inflectuntur, Phœbus Tu beneuolentissimus nuncuperis, prædiceris.

TVÆ PERILLUSTRIS & REVEREND: DOMINATIONIS

Devinctissimus Cliens CASIMIRUS IOANNES CEYPLER A. LL. & Ph. Lic.

PERILLVSTRI, & REVERENDISSIMO DOMINO,

D. M. SEBASTIANO PISKORSKI,

I. V. Doctori & Professori, Ecclesiarum, Cathedralis Cracoviensis Canonico, Collegiatarum, SS. Omnium Crac: Archidiacono, Vielun: Canonico, Almæ Vniversitatis Cracoviensis PROCANCELLARIO Meritissimo.

Trophæum gratitudinis.

Cum Epigraphe:

Hoc nostri animi erigunt.

SVblimi subducta Polo qui in rudera vertit
Pergama, fumanti gaudens regnare favillâ,
Doride disiunctas gentes populosq; remotos
In vicina vocat, belli miscente furore
Ius hominum, Getico recubet nunc mitior Hæmo
Mars: sua nec laudet Siculo decocta Peloro
Tela cruenta; quibus veniunt monumenta trophæi,
Ac tumulos super assurgunt fastigia diri
Munera conflictûs; per quæ mentita decorem
Terrarum, mundo lachrymante superba potestas
Victorum, vario conatur fallere visu
Funera: destructos haud fas reparare Colossos,
Atq; trophæa legi, celsum per culmina nomen
Surgere ijs, sæuâ dextrâ qui nomina terris
Abstulerant; ipso plausus ac gaudia luctu
Quærentes, minimè his æquum decorare Camænas,
Quas maiora decent. Addis Tu culmina Musis
Pulchra Corona Virûm, Cracij splendorq; Lycæi
Palladis ac pretium, Phæbi iucunda voluptas,
Gloria præsentis Vir præstantissime sæcli,
Venturiq; datus cunctis exemplar in ævi.
Cûi per tot longo redeuntia tempora motu,
Accrescunt forti nisu fastigia honoris,
Et præclara decus referunt molimina rerum,

Celsa

[illegible]
Euehit ac virtus nomen ſublime per auras,
Ingeminat celebres victrix ſapientia plauſus,
Et labor & pietas, ſummas attollit ad arces:
Te, numeri metas vincentia geſta coronant,
Quæ nec Pegaſides dignè celebrare valebunt.
Atlantis levius ſtellato vertice Cælum
Pondus adeſt humeris, quàmſi facundus Apollo,
Laudis onus ſubeat, tentet ſi pollice docto
Sublimem reſonare tuam laudemq; decuſq;.
Qualis eras? acies primas, ducente Mineruâ,
Ingreſſus fauſtis auibus, dum Claſſibus olim
Claſſica Palladiâ reſonâſti Ductor arenâ,
Collis tunc viruit palmis Heliconis amænis,
Caſtalius fluxitq; latex tum largiùs vndis;
Tullius atq; ſuâ tunc Maieſtate redire
Cæpit, cùm Latiam fudiſti pectore ſuadam.
Gloria quid Stoæ valeat, quid dogma Stagyræ?
Explicuit Victrix Tua mens, tenuitq; Sophorum,
Agmina; ſic virides ornârunt tempora laurus.
Præſidium ſibi portendens Academus, honores
Mox vocat ad celſos: terræq; benignior, oris
Iam placido vultu ſpectans Aſtræa relictis
Approperat rurſum: Themidis ſancita reſurgunt
Vindice Te legum, iuſti tum ſacra cupido,
Pectoribus remeat, digna & reuerentia Divûm
Iam floret. Quis centenis creſcente lacerto,
Tot ſimul Obiectis poſſet confligere rebus?
Diuidis ingentes curas, Teq; omnibus vnum
Obijcis impauidum; laus, ſed non vltima cedit
Principibus placuiſſe Viris. Te vt faſcibus alma
Extulit ad Superos Pallas, mox celſa Cathedræ
Culmina Vauellus defert, proprijſq; Coronis
Inſeruit gemmam rarâ probitate nitentem.
Promimus hinc cuncti hæc grato de pectore vota
Infractus ſenio, Pilios Tua ſæcla per annos
Continues, accenſa Polus dum ſidera paſcet:
Laudi nec metas, nec tempora ponat honori
Fatum, perpetui ducant Te in ſæcula faſti.

Claris

CLARISSIMIS, EXCELLENTISSIMIS, & ADMODUM REVERENDIS DOMINIS,

DD. EXAMINATORIBVS,

CLARISSIMO, & ADMODUM REVERENDO DOMINO,

D. M. MARTINO OSLINSKI,

Philosophiæ Doctori, Collegæ Majori, Tyliciano Eloquentiæ Professori, S. ANNÆ Canonico, ac interea Artisticæ Facultatis DECANO,

CLARISSIMO, & ADMODUM REVERENDO DOMINO,

D. M. CHRISTOPHORO KRZYKAWSKI,

Philosophiæ Doctori, Collegæ Majori, Regio, & Ordinario Geometriæ Professori, Ecclesiarum Collegiatarum, Neosandecensi Cancellario, S. ANNÆ Crac: Canonico, SS. Omnium ad Szydłow Præposito, S. R. M. SECRETARIO.

CLARISSIMO, & ADMODUM REVERENDO DOMINO,

D. M. MARTINO BIELECKI,

Philosophiæ Doctori & Professori, Collegæ Majori, Ecclesiarum Collegiatarum, S. ANNÆ Cracov: Tarnovicn: Canonico.

in vim debitæ gratitudinis,

Currus triumphalis.

Cum Lemmate:

Portabit niveis currus eburnus equis. *Tibul.*

DEsine Magnorum Clio celebrare Virorum
Laudes, gesta sonans fama volucris abi.
Ne revoces celsos Tarpeiò colle triumphos
Victorum, iam iam Nomina magna sile.
Ignotus iaceat Phariâ Pompeius arenâ
Sit spolium terræ, quâ spolia ipse tulit.
Scipiadas duros Pænorum fulmina belli,
Atq; Duces taceat Roma superba suos.
Ultima magnanimo laus sit deducta Camillo,
Cæsaris ac partus sanguine cedat honor.
Concessum quibus aurato Capitolia curru
Scandere, claudatur nunc sine laude tumor.
Inclyta maiores poscunt tua facta triumphos
Quos semper renovas, Ternio Docte Virûm.

 Magne

Magne Sophûm Princeps, Præses doctæq; cohortis
In Capitolino limine primus ades.
Divinum seu Tu tractas pro Numine Martem,
Desinit in laurus area sacra Tuas.
Nobilior Cyneâ, vincis fortissima cordis
Mania, zelanti pectora prona cadunt.
Fortia gesta stupet acies, seu docta Stagyra,
OSLINSKI laudis mox patet ansa Tuæ.
Culmina proin meritò sapiens excelsa Senatus
Detulit, & toties Murice texit honor.
Applaudit Latiæ celsissima gloria Svadæ
Tylicia, ac vernant flore, roseta, Tuo.
Et Tibi præcelsi Capitolii porta patescit
Inclyte KRZYKAWSKI, Teq; trophæa decent.
Splendida serta polo præbent plantata corusco,
Quæ numeri servant sidera iura Tui.
Adscribens palmas præclara Corona Sophorum
Dicit Aristotelem, Phytagoramq; colit.
Et cuî ceu firmo decumbit Olympus Atlanti,
Exedræ hunc cælis proximus ornat apex.
Dum vocat emeritus sudor, tum culmina celsa
Scandis, digna legens præmia Theologus.
Et Te BIELECKI., teretes qui promis ab ore
Gemmas verborum, lausq; decusq; manent.
Hyperides alter Lechico spectaris in Orbe,
Dum calamo celebras Regia Sceptra Tuo
Dogmata, Te pondus sumunt penetrante, Stagyræ,
Stoaq; nunc pretium gaudet habere suum.
Te Chyrone, tenet multos Sarmatia Achilles,
Doctrinæ dederas culta fluenta quibus.
Per Te, nunc nobis porta ad Capitolia Famæ
Panditur, & per Te festa corona datur.
Ergo perennantes quorum sub Nomine Laurus
Accipimus, grato pectore vota damus.
Applaudant Craciæ celebrando gesta Camœnæ,
Assurgat summo gloria vestra Polo.
Fausta dies nullam Calpen apponat honori,
Emineat celso culmine laudis apex.
Vos resonet mundi per celsos Fama Triones,
Devehat ac niveis currus eburnus equis.

CAPITOLIUM
LAVREATI HONORIS.

I. V. D. STANISLAO SŁOWAKOWIC Crac.

Avitum Stemma. Binæ Sagittæ, ſupra quas tres Stellæ.



Cum Lemmate: Lucent volantibus.

EPIGRAMMA.

VNa volat ſurſum, poſt altera prona Sagitta
Decidit in terram; ſidera terna micant.
Hæc Tua SŁOWAKOWIC præſtant Inſignia mentis,
Celſo quæ ſcandit proxima regna Poli;
Ergo quem Virtus, Studium, Patriją; Penates.
Ornant, huic longùm ſæcula læta fluunt.

II. V.D. JOANNI SŁOWAKOVIC Cracov.

Avitum Stemma. Eædem binæ Sagittæ ſupra quas tres Stellæ.



Cum Lemmate: Petit vtraq; metam.

EPIGRAMMA.

NOn ipſis famam tribuerunt tela Gelons,
Et Tibi SŁOWAKOWIC dant duo tela decus.
Palladis es Cultor felix & Apollinis alter,
Cuius Tu celebri Stemmate ſigna geris.
Ergo tam Genio, Inſigni quàm clarus in Orbe
Palladio, vivas, gloria magna Craci.

III. V. & R. D. THOMÆ CANTIO KOZLOWSKI, Regij Monaſterij Tynecenſis Profeſſo.



Binæ Claves Gladio, quas in Crucem junctæ Roſæ ſtipant.

Cum Lemmate Templum His reſeratur Honoris.

EPIGRAMMA.

SI cuî Ronulei Capitolii limina clauſa,
Clavbus hæc præſtò ſunt adaperta Tuis.
Inclyte KOZŁOWSKI Vates, Sophe, Tullius alter,
Stipatus gladio, fundis ab ore roſas.
Ergo jam famæ Capitolia ſcande triumphans,
Atq; trophæa ſacro Victor in Orbe canas.

IV. V. D. GABRIELI OCHOCKI Cracov.



Avitum Gladius quem Lunæ. *Stemma.* binæ circumſtant

Cum Lemmate Tutela decusq;

EPIGRAMMA.

CYnthia bina Tuum Gladium circumſtat avitum,
Quo ſolvis dexter Gordia vincla Sophûm.
Dotibus egregijs fulges ceû Luna ſerenans,
Eximj meritis pulchra Corona Patris.
Hinc OCHOCKI Te celſi comitentur honores,
Quêis nitidus maneas, Cynthia plena velut.

V. V. D.

V. V. D. JOANNI OCHOCKI Cracov:



Idem Gladius, quem binæ circumdant Lunæ.

Cum Epigraphe: Vndiq; splendor

EPIGRAMMA.

GLoria magna Tui radianti luce nitebit,
Addit cûi placidum Cynthia bina jubar.
Semper honos nomenq; Tuum secura manebunt,
Nam Gladius pellet quæq; pericla procul.
His Tu nativis clarus splendoribus, opto
Magnorum scandas culmina docta Virûm.

VI. V. D. SEBASTIANO MULINOWICZ,

Sacrâ Authoritate Apost: Nota: Pub: Consist: Crac: Regenti.



Avitum Stemma Navis.

Cum Lemmate: Optato littore gaudet.

EPIGRAMMA.

VEllera, quæ Phryxi felix devexerat Argo;
Hæc animi defert aurea dona Tui.
Æthera, quæ petijt terris Astræa nefandis,
Sidere nunc faustam fert meliore ratem.
Munera, tum Craciâ despondet Colchide Pallas,
Pignore Tûi Navim nobiliore beans.

VII. V. D. JACOBO JĘDRYCHOWIC,

Scholæ Vielicensis Seniori.

Gentilitium Stemma. Binæ Sarissæ.

Cum Lemmate: Monstrant hæ vigilem.



EPIGRAMMA.

VRanie geminas in cælum dirigit Hastas,
Quam IĘDRYCHOWIC mens Tua tota colit.
Et quæ, sublimi spatiatur in æthere, penna
Hæc index, mentis dat mihi signa Tuæ
Solers hæc quoniam tentat sublimia Cæli,
Te Vehat ad cellos Fama beata gradus.

VIII. V.D. STANISLAO ZAGRODNCKI.

Gentilitia Syrokomla.

Cum Epigraphe: Virtutis pretium.



EPIGRAMMA.

ABdank Sarmatici præclarum Stemma Trionis,
Dum Cruce signatur, fulget in Orbe magis.
Hoc quando gaudes Tu Stemmate Docte ZAGRODNCKI,
Nominis ac famæ sit Tibi grande decus.
Quem dum Diva Themis grato sub pectore condit,
Exornet dotes Iustinianus honor.

IX. V.D. MICHAELI KOCHANSKI.



Gentilitium Stemma: In campo Roſa, tri-
bus ferramentis aratri armata.

Cum Lemmate: Fert ager iſte Roſas.

EPIGRAMMA.

QVàm cultus tuus eſt animus, Condigne KOCHANSKI,
Hic monſtrat terno vomere ſciſſus ager.
In quo dum mollis Roſa vernat, Palladis agro
Quàm vireas ſtudijs, ſigna dat inde mihi.
His ſtudijs florens, famâ ſuper æthera notus
Vive diu, maneat gloria celſa Tui.

XI. V.D. CASIMIRO GAIOWSKI.



Crux equeſtris Lilijs ſtipata.

Cum Lemmate: Pulchriùs juncta
nitent.

EPIGRAMMA.

CRux Inſigne Tuum renitet, quam Lilia cingunt,
Lilia qui loqueris, purpureaſq; roſas,
Sub Cruce Palladius miles, victorq; triumphas,
Qui clarus ſtudijs & probitate manes.
Ergo quò virtus Tua Te vocat, î pede fauſto,
Suada rotunda gravem Te quia ſtare vetat.

XII. V. D. ANDREÆ KRZEWINSKI.

Agnus in campo laureâ & libro ornato.



Cum Epigraphe: Non Te gramina decent.

EPIGRAMMA.

AGnellus campos temnit cur gramine plenos?
 Cur Laurum viridem, tumq; volumen amat?
Exprimit hic animum KRZEWINSCÎ mitior Agnus;
 Palladius Campus cuî ſuper omne placet.
Ergo jam lauro, libro, dotatus abundè,
 Paſcua, præcelſæ mentis honorem habeat.

XIII. V. D. JOANNI WOLENSKI.

Gladius binis Cynthijs & tribus Stellis ornatus.



Cum Epigraphe: Dant pulchrum cuncta decus.

EPIGRAMMA.

EXimium nomen Cambyſi contulit enſis,
 Cecropiâ in doctæ Palladis æde manens.
Enſi, quem cingunt Lunæ, quem ſidera terna
 Exornant, laudes famaq; major adeſt,
Hinc Tibi WOLENSKI celeberrima gloria ſurgat,
 Indiviſa comes quæ probitatis erit.

XIV. V. D. STANISLAO PECHERZYNSKI.



Tres Rosæ.

Cum Epigraphe: Latè diffundunt odorem.

EPIGRAMMA.

Candida terna Tibi floret Roſa Stemmate claro,
Docte PECHERZYNSKI, quas Tuus hortus habet.
Has non Flora fovet, mulcetq; Favonius auris,
Conſervat virtus ſed melior Zephyris.
Ergo quam recipis docta ſub Pallade laurum,
Hanc ornet terno nunc Tibi flore Roſa.

XV. V. D. DOMINICO HEPNER.



Stemma Equus.

Cum Lemmate: Signatam tendit ad metam.

EPIGRAMMA.

MArtis equos taceo, Scythios, & fortis Achillis,
Quos Tuus exſuperat nobilior Sonipes.
Hunc non frena domant, durum cohibetq; capiſtrum,
Libera nam renuit mens generoſa regi.
Currentem ſequeris ſtudijs HEPNER pede fauſto,
Dumq; capis metam, Te capit altus honor.

XVI. V. D. JOSEPHO MAIERANOWSKI.

Annulus palmis junctus cum bireto.



super quem liber

Cum Epigraphe: Doctæ hæc sunt insignia mentis.

EPIGRAMMA.

ANnulus & palmæ, junctus codexq; bireto,
Exornant mentem laurigerumq; caput.
Vtpote tam pulchris gaudet sapientia signis:
Existens victor sub quibus, io canas.
Te Themis ad celsos & Pallas tollat honores
MAIERANOWSKI, quod mea Musa vovet.

XVII. V. D. CANTIO FRYCIUS.

Columna supra



quam tres laureæ.

Cum Lemmate: Sic laus nomenq; perennat.

EPIGRAMMA.

IAm cessent Rhodios Vates jactare colossos,
Hæc etiam pulchrè firma Columna nitet.
Quam non Praxitelis manus, ast sapientia struxit;
Vt basis illa Tui Nominis alta foret.
Hoc Insigne Tibi FRYCIVS columenq; decusq;
Sit; cinctum lauro florida secla beent.

X. V. D. CASIMIRO IOANNI GEYPLER Cracov.

Authori Operis.

Argumentum fraterni affectûs, & mutui applausûs offert,

CASIMIRUS ANTONIUS GAIOWSKI.

Stellæ tres supra
lum pede



quas Accipiter annu-
tenet.

Cum Epigraphe: Non sistit in imis.

EPIGRAMMA.

Sideribus clarè trinis Insigne coruscat,
Cur ita? perfectè meus Tua celsa nitet.
Dotibus ingenij, studijs pietate triumphans,
Et nostras laudes dulcisono ore canens.
Hinc Vates (Craciæ splendorq; decusq; Palæstræ)
Sidera amica Tibi sint mens optat amor.

Sub Fe-

Sub Felicissimis Auspiciis,
Magnifici, Perillustris, & Reverendissimi Domini,

D. M. MARTINI WINKLER,

Sacræ Theologiæ Doctoris & Professoris,
Collegij Majoris Senioris Patris,
Ecclesiarum, Cathedralis Cracoviensis Canonici,
Sandomiriensis Præpositi, Kielcensis Scholastici,
Curati Premykovien: Contubernij Hierosolymitani Provisoris,
Almæ Universitatis Cracoviensis,
Generalis & Vigilantissimi
RECTORIS.